



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 2. Utrùm Episcopus Romanus succedat Petro in primatu universæ
Ecclesiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

§. VI.

Primatus Petri in universam Ecclesiam transiit ad ejus successores.

Prob. 1. Ex verbis Christi Matth. cap. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prevalebunt adversus eam.* Quibus verbis Christus promittit duo, videlicet Ecclesiam fundatam in Petro, & hanc Ecclesiam, quae fundabitur in Petro, fore perpetuam: illud enim: *Et porta inferi, &c.* De perpetuitate Ecclesiae intellexere unanimiter omnium aetatum orthodoxi. Unde sic argumentor. Christus Matth. cap. 16. promittit Petrum fore fundamentum Ecclesiae, quam promittit fore perpetuam. Ergo promittit Petrum fore fundamentum Ecclesiae perpetuae. Ergo promittit Petrum fore fundamentum perpetuum: nam aedificii perpetui fundamentum perpetuum esse necesse est. Ergo Petrus vi promissionis Christi futurus fuit fundamentum perpetuum Ecclesiae, vel in propria persona, vel in persona successorum suorum. Atqui non potuit esse futurus fundamentum perpetuum Ecclesiae in propria persona; aliquando enim moriturus fuit, adeoque cessaturus ab officio fundamenti. Ergo futurus fuit fundamentum perpetuum Ecclesiae in persona successorum suorum. Ergo vi promissionis Christi, omnes Petri successores sunt fundamentum Ecclesiae. Ergo vi promissionis Christi omnes Petri successores habent primatum Ecclesiae: nam esse Ecclesiae fundamentum, & habere primatum Ecclesiae, sunt unum & idem, ut suo loco ostensum est.

Prob. 2. Ex verbis Christi Joan. cap. 21. *Pasce oves meas*, quibus, ut suo loco probatum est, Christus Petrum constituit supremum in terris pastorem & rectorem Ecclesiae suae. Constituit autem absque ulla temporis limitatione, & ex intentione providendi Ecclesiae suae pro omni tempore, pro quo duratura est. Ergo vi institutionis Christi Petrus est supremus in terris pastor & rector Ecclesiae usque ad finem Mundi; cum Ecclesia perpetua usque ad finem Mundi duratura sit. Atqui Petrus nec est, nec potest esse in propria persona supremus pastor, & rector Ecclesiae usque ad finem Mundi; cum jam à multis saeculis cessaret à munere pastoris & rectoris Ecclesiae. Ergo superest, ut Petrus sit in successoribus suis supremus Pastor, &c. Ergo, quod idem est, vi institutionis Christi, successores Petri sunt supremi in terris pastores & rectores Ecclesiae. Munus igitur supremi pastoris & rectoris Ecclesiae à Christo collatum Petro, non desit eo moriente, sed ad successores ejus haecenus transiit, & transiit usque ad finem.

Prob. 3. Ex traditione, cujus unicum testem brevitaris studio hic proferimus Leonem Magnum serm. 2. in annivers. die Assumpt. &c. ubi sic loquitur: *Soliditas illius fidei, quae in Apostolorum principe est laudata, perpetua est; & sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Christus instituit.* *Manet ergo dispositio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans, suscepta Ecclesiae gubernacula non relinquit.* Tum inferius sic prosequitur: *Celebratur hodierna festivitas, ut in persona humilitatis meae ille intelligatur, ille honoretur, in quo & omnium pastorum sollicitudo cum commendatarum sibi ovium custodia perseverat, & cuius etiam dignitas in indigno herede non deficit.*

ARTICULUS II.

Utrum Episcopus Romanus succedat Petro in primatu universae Ecclesiae.

RESPONSIO.

Succedit. *Prob. 1.* Ex modò probatis. Episcopus aliquis succedit Petro in primatu universae Ecclesiae. Nonnisi Episcopus Romanus. Ergo, &c. *Prob. Simonnet Theol. Tom. II.*

min. Nam Petrus relicta Antiochia, Romae Sedem fixit, universae Ecclesiae primatum retinens; non enim nisi per mortem naturalem cessavit ab officio supremi pastoris. Item sedem, quam Romae fixerat, relicto particulari episcopatu Antiocheno, nunquam aliò ante mortem transtulit, sed particularis Ecclesiae Romanae Episcopus Romae defunctus est. Ergo moriendo eidem cessit locum quoad primatum universae Ecclesiae, cui cessit locum quoad particularem episcopatum Ecclesiae Romanae. Ergo qui succedit Petro in episcopatu particulari Ecclesiae Romanae, succedit ei in primatu universae Ecclesiae. Ergo non alius, quam Episcopus Romanus, &c.

Confirm. Quia si quis episcopus succedit Petro in primatu universae Ecclesiae, alius esse non potest, quam vel Antiochenus, vel Romanus Episcopus: Petrus enim alibi non fuit Episcopus, quam Antiochia & Romae; adeoque nullus alius, praeter Antiochenum & Romanum, Episcopus dici potest in particulari successor Petri. Atqui falsum est quòd Antiochenus Episcopus succedat Petro in primatu universae Ecclesiae: constat enim ex canon. 6. Niceni Concilii, Antiochenum Episcopum nunquam nisi tertium inter Patriarchas obtinuisse locum. Præterea, Petrus Antiochia discedens, ut Romae sedem in perpetuum sgeret, solum particularem episcopatum Antiochenum deseruit, & secum universae Ecclesiae primatum, quem nonnisi moriendo relinquere poterat, detulit: unde fit ut Antiochenus Episcopus non ei possit succedere, nisi in particulari episcopatu Antiochenae Ecclesiae. Ergo, &c.

Prob. 2. Ex Conciliis. 1. Patres Synodi Constantinopolitanae in sua ad Damasum epistola, propria se illius esse membra constituntur: *Quoniam vos, inquit, nos velut membra propria per Deo amatissimi Imperatoris litteras accessivistis.* Hoc autem confitendo, illum ut suum & totius Ecclesiae caput agnoscunt.

2. Patres Synodi Chalcedonenfis in sua pariter epistola ad Leonem sic ajunt: *Quibus (episcopis Chalcedone congregatis) tu quidem, sicut membris caput, praeras in his, qui tunc tenebant ordinem.* Et inferius: *Insuper & contra ipsum (Leonem) cui vinea (hoc est universalis Ecclesiae) custodia à Salvatore commissæ est, extendit (Dioscorus) insaniam.*

3. Concilium Lateranense sub Innoc. III. c. 5. hæc habet de Ecclesia Romana: *Disponente Domino super omnes alias ordinario potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium.*

4. Concilium Florentin. in litteris sanctæ unionis sic loquitur: *Definimus S. Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum Orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, & omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, &c.*

5. Cap. 7. sess. 14. Concil. Trid. dicitur: *Unde merito Pontifices maximi pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare.*

Prob. 3. Ex facto & sententia Græcorum Patrum. 1. Sanctus Athanasius ab Eusebianis in Tyria Synodo injustè damnatus, vel appellavit Julium Pontificem Romanum, ut volunt multi, vel Julii litteris, ut pro se in judicio ipse responderet, vocatus, ut scribit Theodoretus lib. 2. histor. Ecclesiast. cap. 4. aut etiam antequam à Julio litteras acciperet, sponte Romam venit, ut ibi Julio & ejus Synodo se sisteret, contra Eusebianos, qui eum post Tyriam Synodum apud Julium per litteras & legatos accusarant, causam suam ipse defenderet. Atqui hoc facto ipse Alexandrinæ, hoc est, secundæ Sedis Episcopus, Romanum Episcopum ut supremum totius Ecclesiae moderatorem & rectorem agnovit.

2. S. Chrysostomus Patriarcha Constantinopolitanus, à Theophilo Alexandrino Patriarcha in multorum Episcoporum Synodo exauctoratus, Innocentium Pontificem appellavit, ut constet ex ejus ad eundem Innocentium epistola, in qua sic loquitur: *Obsecro ut*

scribatis, quod hac tam iniquè facta, & absentibus nobis, & non declinantibus iudicium, non habeant robur, sicut neque sua natura habent: illi autem qui iniquè egerunt, poena Ecclesiasticarum legum subiaceant.

3. Theodoretus à Diocoro Alexandrino patriarcha depositus, per appellationem ad Leonem Pontificem confugit, ut docet ejus epistola ad eundem Leonem scripta, ubi sic ait: *Nos humiles & pusilli ad Apostolicam Sedem vestram accurrimus, ut Ecclesiarum ulceribus remedium à vobis accipiamus: vobis enim primas in omnibus tenere convenit. Et inferius: Ego Apostolica vestra Sedis expecto sententiam, & oro atque obsecro sanctitatem tuam, ut mihi rectum, ac iustum tribunal vestrum invocanti opem ferat.*

Censuit igitur S. Chrysostomus, & post eum Theodoretus, Episcopum Romanum, ea quæ perpetam acta erant in Synodis Orientalibus, etiam iis, in quibus præfederal Alexandrinus Patriarcha, autoritate sua rescindere posse. At Episcopus Romanus hoc non poterat ut Patriarcha Occidentis; manifestum enim est Episcopum Romanum, ut Occidentis Patriarcham, nihil jurisdictionis habere potuisse in Orientalem Ecclesiam. Ergo vel hoc non poterat, quod est contra mentem Chrysostomi & Theodoretum, vel poterat ut supremus moderator universæ Ecclesiæ; adeoque Chrysostomus & Theodoretus Episcopum Romanum, ut supremum universæ Ecclesiæ moderatorem agnovisse dicendi sunt.

4. In eadem planè sententia fuerunt Cyrillus Patriarcha Alexandrinus & Basilus, ut de primo probatur ex ejus ad Celestinum Pontificem de Nestorio epistola, in qua sic eum alloquitur: *Non prius autem illius (Nestorii) communionem palam aperireque deserimus, quam hac ipsa pietati tue indicaremus. Dignetur proinde quid hic sentias præscribere; quo liquido nobis constet, communicare ne nos cum illo oporteat, an vero libere eidem denunciare, neminem cum eo communicare, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet ac prædicat.* De secundo vero ex ejus ad S. Athanasium epistola, num. 52. ubi hæc scribit: *Visum est autem mihi consentaneum, ut scribatur Episcopo Romæ, ut quæ hic geruntur consideret, deque consilium, & ... ipse sua autoritate usus, viros eligat ... ad hoc quoque accommodatos, ut mansuetudine & facilitate ingenii eos, qui distorti & obliqui apud nos sunt, corrigan* ... omniaque secum habentes necessaria ad solutionem eorum, quæ Arimini male gesta sunt. Quibus verbis aperte agnoscit Basilus Episcopo Romano, tanquam supremo pastori, omnium Ecclesiarum curam commissam esse, eumque ut supremum pastorem, ea quæ in Synodis etiam frequentissimis male fieri contingit, autoritate sua emendare posse.

Prob. denique ex Patribus Latinis. 1. S. Hieronymus in sua de vocabulo Hypostasis epistola ad Damasum Pontificem, sic ait: *Quoniam tui me terreat magnitudo, invitat tamen humanitas. A pastore præsidium ovīs peto. Cum successore piscatoris & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tue, id est, Cathedre Petri communionem confocio. Super illam petram edificatam Ecclesiam scio.* Hic S. Doctor Romanum Episcopum agnoscit esse successorem Petri. Tanquam ovīs confugit ad eum, velut pastorem non particularem (non enim Romanæ, sed Antiochenæ Ecclesiæ presbyter erat Hieronymus) sed universalem. Ei secundum à Christo in Ecclesia locum tribuit; adeoque eum ut summum Christi in terris Vicarium reveretur. Denique eum vice Petri, cujus successor est, Ecclesiæ fundamentum esse, proindeque ab eo Ecclesiæ universæ ædificium sustentari constituitur.

2. S. Augustinus cum Milevitana Synodo ad Innocentium Papam in sua ad eum epistola, quæ est 92. sic scribit: *Quia te Dominus gratia sua præcipue munere in Sede Apostolica collocavit ... magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastorem diligentiam quæsumus adhibere digneris. Nova quippe heresis, & nimium perniciosa tempestas surgere inimicorum gratia Christi cepit. Inimici autem illi gra-*

tia Christi erant Pelagiani, qui Africam potissimum & Palæstinam erroribus suis inficiebant; nec tamen Augustinus, & cum eo alii præfules Africani confugiunt ad Antiochenum Patriarcham, vel Palæstinæ Metropolitum, & Africæ Primatem Carthaginensem Episcopum; sed confugiunt ad Romanum Pontificem, eumque enixè orant, ut contra novatores pastorem diligentiam adhibeat, & Africæ ac Palæstinæ fidelium fidei atque salutem, novos errores damnando, consulat. Quod certe non fecissent, ni eis exploratum penitus esset, Episcopo Romano, ut supremo pastori, Ecclesiarum omnium seu totius gregis Dominici curam incumbere.

Cum igitur ajunt: *Quia te Deus gratia sua, &c.* perinde est ac si dicerent: Quoniam te Deus ex gratuita benevolentia, eaque singulari, nec aliis Ecclesiæ prælatis tecum communi collocavit in Cathedra, quæ totius Ecclesiæ primatum obtinet, & collocando constituit te caput & pastorem universæ Ecclesiæ, & constituendo imposuit onus universam Ecclesiam regendi, eamque contra novatorum pravitatem & molitiones defendendi; oramus ut ovibus nostris, quæ etiam tuæ sunt, pastorem, quam illis debes, curam exhibeas, & quod satis non possumus, autoritate quæ polles apostolica, illas in vera fide contineas, proscribendo recens excusa hæreticorum placita.

3. S. Bernardus lib. 2. de considerat. post medium, sic Eugenium Pontificem alloquitur: *Age indagemus adhuc diligentius qui sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei? Quis es? Sacerdos magnus, Summus Pontifex. Tu princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel ... dignitate Aaron, autoritate Moyses ... potestate Petrus, unctione Christus. Tu es cui claves tradite, cui oves credite sunt. Sunt quidem & alii cæli janitores, & gregum pastores: sed tu tanto gloriosius, quanto & differentius utrumque præ cæteris nomen hereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos: tibi universi credunt, uni (gregi) unus (pastor) nec modo ovium, sed & pastorum tu unus omnium pastor. Unde id probem queris? Ex verbo Domini, &c.*

ARTICULUS III.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. S. Irenæus, & cum eo plures alii Episcopi, Victorem Papam litteris ad eum datis graviter reprehenderunt, quod Asianos Episcopos, luna decima quarta cum Judæis Pascha celebrare solitos, quia hanc consuetudinem relinquere, & cum cæteris fidelibus die Dominica lunam decimam quartam proximè subsequente, festum illud agere volebant, excommunicasset. Atqui Irenæus cum aliis illis Episcopis non sic Victorem reprehendit, nisi quia judicavit illum non esse aliis Episcopis superiorem, neque illum alios Episcopos judicare & damnare posse. Ergo Irenæus, & alii cum eo Episcopi, qui Victorem litteris objurgarunt, in ea fuerunt sententia, quod Episcopus Romanus non habeat jurisdictionem in universam Ecclesiam, nec sit totius Ecclesiæ moderator & rector universalis.

Resp. 1. Victorem quidem ex occasione schismatis Blasti, qui, ut habetur apud Tertullianum lib. de præscript. c. 53. *Latenter judaismum volebat introducere. Pascha enim dicebat non aliter custodiendum esse, nisi secundum legem Moysi, xiv. mensis:* Asianis Episcopis excommunicationem minitatum esse, nisi Pascha non luna decima quarta, ut eætenus soliti erant, sed die Dominica proximè subsequente in posterum celebrarent: quod autem eos pertinaciter inobedientes re ipsa excommunicaret, non videtur satis exploratum, & multi negant.

Resp. 2. neg. min. Nam sive Victor Asianos Episcopos absciderit, sive ab illis abscindendis Irenæi & aliorum Episcoporum litteris deterritus fuerit, consilium ejus improbatum est ab Irenæo, & illis aliis Episcopis,